

pus Romanus esset summus, tamen necesse esset ab eo dissentire, cum hactenus omne ius suum perdidit, si quod habuisset. Tantum enim abest, ut pauerit oues Christi, quin eas pessime curauerit. Nam doctrinam corruptit, ecclesiam destruxit, gloriam Christi labefactauit, errores seminavit, falsos cultus instituit et conscientias hominum laqueis irretuit. Imo omnia iura, diuina et humana, interpretandi et mutandi arbitrium sibi sumsit ac etiamnum hodie defendit dogmata pugnancia cum euangelio nec non idolatricos cultus pertinaciter retinere contendit. Idque praetextu falsae successionis et ordinariae potestatis, unde frustra gloriatur, ignorans, quod Deus ab initio mundi semper omnibus temporibus usque in hodiernum diem excitauit viros fideles et constantes, qui dissentirent [120:] ab iis, qui sub praetextu potestatis ordinariae manifestos errores et idola contra verbum veritatis defenderunt.

Quemadmodum Seth, Adae filius, contra Cainicos est excitatus,¹⁹⁸ Elias contra sacerdotes Baal,¹⁹⁹ Amos contra impium Amasiam pontificem.²⁰⁰ Sic Ieremias et Zacharias et alii²⁰¹ dissenserunt a suis pontificibus, tametsi manifestum erat leuiticum pontificem iure diuino superiorem esse ceteris sacerdotibus, sic Ioannes baptista, Christus ipse, diuus Paulus²⁰² et nostro saeculo Lutherus,²⁰³ qui non sunt vel haeretici vel schismatici iudicandi, quia dissenserunt ab haereticis et schismaticis, quales sunt hodie, qui arrogant sibi autoritatem supra verbum Dei et omnes ecclesias, qui corrumpunt doctrinam, instituunt nouos sine mandato Dei cultus, edunt dogmata verbo Dei ignota, multiplicant inutiles et superstitiosas traditiones, veram ecclesiam dignitate, autoritate et nomine spoliunt, ex quibus et similibus schismata oriri necesse est. Haec cum manifeste fiunt in papatu, quis neget papatum esse omnium schismatum summum autorem. Profecto, si praestanda est oboedientia praepositis et iis, qui vigilant pro animabus verbo et fide pascendis ac seruandis, tunc nulla debetur vel summo pontifici vel eius commissariis oboedientia, quia non pascunt gre-[121:]gem Christi, sed sunt corruptores doctrinae et recte docentium persecutores. Quanquam igitur omnes status et ordines ecclesiasticos et politicos debita reuerentia semper honorare studemus, tamen non possumus manifestae impietati consentire, nec ab iis dissentire, qui sinceri ministri verbi sunt, qui diligunt Christum et pascunt ecclesiam, iuxta mandatum Petro et apostolis datum²⁰⁴ nec aliam ecclesiam nec alios episcopos aut Petri successores nouimus cum scriptura sacra quam eos, qui fidem et confessionem filii Dei viuui habent.

¹⁹⁸ Vgl. Gen 4,25.

¹⁹⁹ Vgl. I Reg 18,21–40.

²⁰⁰ Vgl. Am 7,10–17.

²⁰¹ Vgl. Jer 2,8; Sach 7,4–6; Mal 2,1–9.

²⁰² Vgl. Mt 3,7–10 par; Lk 22,52; Act 23,1–5.

²⁰³ Vgl. Luther, WA 6, 560,20–23 (De captiuitate babylonica ecclesiae praeludium, 1520).

²⁰⁴ Vgl. Joh 21,16f; Joh 20,23.